Zebrzydowski Michael
Palatinus Cracoviensis

Brzezanowski Stanislaus Jos: Vexillum immortalis gloriae.

VEXILLVM
IMMORTALIS GLORIÆ,

Ad perennem Sepulchralium honorum Aram,

Illustrissimi olim, & Magnifici Domini,

D. MICHAELIS

DE ZEBRZYDOVICE,

ZEBRZYDOWSKI,

PALATINI Crac:, Generalis Minoris Poloniæ, Cracouiensis, Lanckoroñ:

CAPITANEI,

DVM

In auito, Zebrzydouianæ pietatis, Monumento, in Ecclesia FF. Minor: de Obseruantia, Celeberrimi Montis Caluariæ, piis eiusdem manibus, Iusta Funeralia, magno omnium dolore, posthumoq; obsequio persoluerentur;

Debito, in amplissimum Mecænatem, pietatis affectu,

A

M. STANISLAO IOSEPHO BIEZANOWSKI,
Leopol: In Alma Vniuersitate Cracouiensi Collega Minore, Ordinario Pöéseos Professore,

Inter Gentilitia, vexilli ZEBRZYDOVIANI, decora,

Appensum.

Anno Verbi Incarnati 1667. Die 12. Maij.

CRACOVIÆ,
In Officina Hæredum Francisci Cezarij S. R. M. Typogr.

In Antiquissimum Illustriss: Domûs
ZEBRZYDOVIANÆ,
GENTILITIVM INSIGNE.



Martia dum caderent, infesto Signa Gradiuo,
  Confusasq; acies, sterneret hostis atrox;
Pro Patria, atque Deo, certantibus adfuit; & mox
  Vexillum pietas, protulit ipsa suum:
Hac duce, collectis redijt victoria signis;
  Deque triumphanti, rapta trophæa manu,
Nempè sub insigni, Signo pietatis; in hostes
  Militat, & vincit, Victor vbique Deus.

VE-

VEXILLI
IMMORTALIS GLORIÆ, INSIGNE PRIMVM, GENTILITIVS ILLVSTRISSIMÆ DOMVS ZEBRZYDOVIANÆ SPLENDOR.

Vetusti, ab aureo æuo, Sanguinis propaginem, ducere;
Immortalitatis quædam, inter mortales, siue vmbra, siue rimula est.
Inimicum naturæ, desinere;
Patimur quidem; sed non sine naturæ vadimonio;
Cùm cedimus; sed succedentibus:
Adeòq; non desijt, cuius vestigia teruntur; sed præterijt.
Aliud nimirum est in via, vitaque currentes, trudere; aliud sequi;
Hoc sanguinis, fortunæ illud.
Non eripit stadium præcurrentibus, qui continuat:
Quæ in occasum, mox oritura flectit, nec præcipitat Sidera Cælum,
VIRTVS QVIDEM,
Stemmata, in censu gloriæ, non computat; sed exempla:
Securius tamen incedit, si Theseos, Herculesq; sequatur.
Inde,
Seculorum omnium cura hæc;
Prodire velle, ex antiquissimis.
Aliud tamen hic ambitio; aliud vera gloria quærit:
Illa, vt maiestati, à longè maior sit reuerentia;
hæc, vt maior virtuti.
Vetustatis certè reuerentia omnis, Sacra est;
Habentq; suum, Sibillæ folia; etiam cum non respondent, oraculum.
Macedo quidem, ridiculè
Memoriam Patris, in Ioue Hammonio amisit;
Memoriam hominis, Caius sceleratiùs exuit;
Tolerabilior ille;

Qui generis propaginem; quam qui retulit, inter Deos seipsum.
Profuit multis, ab immemorabili æuo, Sanguinis memoriã petere;
Sed maiorem plures, obliuioni egerunt gratiam;
Quæ, dum primos sepelit, extulit vniuersos.
Laborauerint tamen quantumcunq; , in prærogatiuam Sanguinis;
Vt Sacram, ex antiquitate facerent;
Qui Ioui quoq; vagienti, ministerium in cunis fecerant:
Nemo tamen piaculum commiserit;
Si Ianum à tergo, quem nulla Ciconia pinsit;
Vtrinque illis prouideat.
Dodoneam certè quercum, ductamq; ex auro Saturni ætatem;
Vt sua in venerationem antiquitas, transtulit; ita fidẽ, non extorsit;
Nisi quis residuam, ex aurea hora momentis, fimbriam viderit.

TIBI NIHILOMINVS,
Illustrissima Domus ZEBRZYDOVIA,
Æquè Sacra, vt antiqua, originis authoritas est.
Corniculatas quidem, in fibulis Lunas, non intueris;
Maioresque tuos, nubibus non abscondis; vt Diuos facias,
Diuinum tamen aliquid,
Sumpto ab aris, contra hostes, victoriæ signo;
Pro aris & focis, strenuè semper decertatura, ostendisti,
Nunquam fortuna, audaces, contra fortunam, iuuit feliciùs;
Quam cum, sub Boleslao Audace, Raduani signum secuta;
Triumphatas post casum, victori manus, & manubias dedit.
Prophanum sub hoc signo Martem,
Nemo amplius dixerit;
Didicit tandem, religiosiùs sub hoc signo pugnare,
Vincereque gloriosiùs:
Nec deesse virtuti modum, ad fortunam; si fortuna conciderit.
Nouum putabat Roxolanus, Raduani Exercitum;
Vbi nouum, in militia, pietatis signum, conspexit:
In hac certè Domo perpetuum;
Quæ non Aquilas, leonesq; nec cristatos Triptolemi angues;
Sed mansuetum, victoris de tribu Iuda, symbolum respicit.
Salue igitur,
A tantis initiis, Magna Heroum propago.
Dixerim te, sub vexillo Ecclesiæ,

Iura-

Iuratam contra barbaros manum;
Nisi contra Stygem etiam, sub pietatis signo, coniurasses.
Victorias à Domo Domini auspicata,
Non tantum contra tenebriones fidei; sed contra tenebrarum quoq; potestates,
animosior prodijsti.
Militans pro Deo, cum ex æde sacra, in aciem exiueris;
In ædem sacram, nunquam nisi triumphans intrasti,
Victrix in acie, constans in fide.
Impleuerint alij Capitolia spolijs, orbem terrarum deprædati:
Trophæis Tu, & manubijs templa:
Ibi effusissimâ largitione insignis;
Vnde signo dato, in orbis gloriam, prodieras.
Sed ô felicem
In prodiga pietate iacturam!
Nemo Euclionum, rem suam auxit lucrosiùs;
Quam qui piè decoxit.
Aureo cœlitùs imbre, fœcundari, si vis; tu nubes collige.
Sacra hæc procella, in manu tua est; nisi arescere malueris.
Hoc vnum certamen cum superis,
Nec Titanas facit; nec Ioui fulmen excutit;
Pelion & Ossam in Cœlum, aurei pietatis montes congerunt.
Diuinum hoc, æmulationis cum cælitibus genus,
Quantum in Raduaneam Domum contulerit, sæcula loquentur.
Perpetua hîc agi Olympia crederes;
Ita nemo non ad summam honoris metam, coronatus processit.
Regum proinde in amoribus habiti,
Chrobrio, Audaci, Crispo, Boleslais,
Vel Cancellarij, vel Magistri militiæ,
Magnæ fortunæ, non tam Comites, quam capaces fuère.
Masculam in ijs indolem, fideiq; orthodoxæ amicam;
Amica veræ fidei & fortitudinis Sedes, Masouia dilexit;
Dum Marschalcos Ducum suorum, & Cancellarios vidit:
Quin & Triumphatores, in GOTARDO;
Cui In Iazuingas, tantùm licuit; quantùm Herculi in Hydram.
Macte animo,
Noue Sarmatarum Scipio?
Carthaginem hanc, vt exscindas; septem tibi Colla submisit.
Decuit sanè,
Sub pietatis signo, vinctam impietatem duci, teneriq;
Quæ septem Ducum capita, CONRADO Mazouiæ Duci,

Ex Iazuingis captiua deduxit;
Vt capitale fieret ampliùs; ſub Eccleſiæ ſigno,
Hoſtes Eccleſiæ non Vincere.
Tot inter Trophæa nate,
VILHELME comes, in Brody, & ZEBRZIDOVICE,
Quem te fuiſſe dixerim.
Repere alis in purpura, honoris irritamentum:
Tibi inter Laureas naſci, Victoriarum ſtimulus fuit.
A tanto ZEBRZYDOVIANAM ſtirpem nomine,
In tantum prouehi decus oportuit:
Cui, quantùmcunq; deriuatum ſit; eadem vbiq;, plenitudo gloriæ manſit.
Fontem nimirum lucis, nunquam diuiſeris,
Quantùmuis in radios erumpat;
Sequitur eum, ſua vbiq; claritas; tum vel maximè collecta;
Cum ſe alijs quoq; communicat.
Ergo,
Deductus à VILHELMO, in FABIANVM ZEBRZYDOVIVM,
Virtutis & gloriæ Splendor,
Effudit ſe, in IOANNE, & NICOLAO filijs,
Tantò conſpectior; quantò in poſteris maior.
Quod ſi,
Magnarum mentium lucem, nemo vno ambitu teneat;
ALBERTVM certè ZEBRZYDOVIVM,
Vel ſola Filiorum corona, cum ambit;
Ambîguum reddit, fontemne, lucis coronet, an contineat;
Ingens Parentis gloria,
Circumdari à filijs; qui lucem non diſſipent, ſed augeant:
Nec tam ſcintillare, in ſummo velint, quam lucere.
Egit hoc, in Cathedra Pontificia,
Thiarâ ſuâ maior,
ANDREAS ZEBRZYDOWSKI, Epiſcopus Cracouienſis,
Pontificum eâ tempeſtate ſydus;
Quâ ſtellæ Cæli ceciderant, Virtuteſq; in fide, motæ ſunt.
Aduſſit Hæreſim, lucerna hæc ardens & lucens;
Confuditq; Prophetas Baal; igne, quo frigidam in Polonia,
Fidem & pietatem accenderat.
Magnus coram Imperatore Ferdinando Cyneas;
Sed maior, in ſubruendis firmatæ Hæreſeos mœnibus,
POLIORCETES.
Docuit, ſub Vexillo ZEBRZYDOWIANO, Caſtra Dei,
Et mi-

Et militiam esse.
Certauêre proinde, in sacro capite, quatuor Thiararum Coronæ;
Ceu pares singulæ non essent; quæ maiorem cunctis,
ZEBRZYDOVII animum coronarent.
Hæreseos certè, tùm vel maximè, corona cecidit;
Amisitq́ Encelados suos, contra Vaticanum fidei solium insurgentes;
Pubesq́; Titania iacet hucusq́;; Augustanam frustra commouens Æthnam;
Vel solâ, ZEBRZYDOVII Præsulis, augustâ pro Deo virtute oppressa.
Heroica Fatrum nomina, decoraq́; quid requiram?
Si hæc à Pontificis manu.
BARTHOLOMÆO ZEBRZYDOWSKI Palatino Brestensi,
Vel solus ad gloriam, Magnus contra Moschos bellator,
ANDREAS Filius sufficit.
Orbis theatrum, ad censuram virtutis non exigit;
Quem Stephanus Bathoreus, Regum & Heroum amussis,
Parem nomini Heroem censuit.
Sed nec tibi sella curulis,
GASPAR ZEBRZYDOWSKI, Palatine Calisiensis,
Absq́; decursu gloriæ venit.
Quieuisse, sub expanso Vexillo, nemini licuit:
Signum hoc, ad merita, quem prouocat, vrget;
Adeôq́ Cessatores exauthoratos vult;
Vt nisi fuso pro Patria sanguine, sudoreq́; sanguineo, purpurescat;
Ad honoris purpuram omnem,
ZEBRZYDOVIVS erubescat Sanguis.

VEXILLI
IMMORTALIS GLORIÆ,
INSIGNE SECVNDVM,
Deducta ex Atauo, Proauo, Auo, & Parente,
ILLVSTRISSIMI
PALATINI GLORIA.
Vmbras Maiorum,
Quod è longinquo deducam;
Sepulchralium honorum, lex est.

Altè mœrentium noctis Pharus, ab hac nonnisi luce:
Vnumq; hoc Sepulchrale decus est; quod sepelire nefas,
Atria maiorum, in vestibulo mortis assurgunt;
Impudensq; aliàs hoc vnum reueretur, ne maiores ex vmbris faciat.

Semper tamen,

Maiores in occasu vmbræ prodeunt:
Amissâq; non nisi vitæ imagine constat; stetisse inter maiorum imagines,

Simulacra hæc; nisi orbis haberet;

Præcessisse aliquando magnos, transijsseq; in maiores, quis crederet?
Parcite igitur Magni Heroum Manes;
Si post tot sæcula, quieti vestræ non parcitur.
Libet enim vobiscum agere;
Cum ad mortis scenam, alterius vitæ ostium, venimus.
Certè, legitur in exanimi vultu vestro; quod viuentes animat,
Spirantesq; adhuc, in simulacris vestris intueor;
Quorum portio nobilior, spiritus est?
Distare sæculis viuentes, mortuosq;, cum necesse sit;

In simulacris vestris id agitur;

Ne, cum distemus á luce; etiam in vmbras non incurramus.
Quidni ex immortali respirio, IOANNES Zebrzydowski, Castell. Oswiecin.
Illustrissimi, quem lachrymis prosequimur, Palatini,
Felix Atauus, spirans adhuc prodeat?
A quo, tantum animi, in posteros transfusum est;
Quantum nonnisi, à maximo virtutis Heroicæ spiraculo, transfundi potuit.

Crediderim ego, pectus illud,

Non leui quidem succino, sed Magneti simillimum
Masculam, ad ferreum Martis opus, virtutem vel à longè spirâsse;

Cum in,

Florianum Zebrzydowski Castellanum Lublinensem,
Suamne, dicam, an Martis genuinam Sobolem,
Tantum ad res bellicas spiritum effuderit.

Assurgant nomini huic,

Achilles, Epaminondæ, Hectoresq;,
Effætaq; licet sæcula, necdum tamen Heroas párere desciffe, gaudeant.
Militare Floriano nomen, ex destinato venisse;
Felices pugnæ, & victoriæ, probant;
Sola Moschua ingemiscit.
Præfectus Exercituum ad Castrum Neuel
Implacabile gentis odium; quadraginta millium cæde victimisq; placauit.
Nunquam ad prætereuntes Heroas, vetustas religiosiùs siluit,

Quam

Quàm tùm Moschua ad Floriani occursum;
Nec tàm Martis, quam Olympicos agi ludos putasses;
Adeò ne Musca quidem apparuit.
Quis credidisset?
Minotaurum illum, tanta mole, ab vna manu casurum,
Nec suo etiam, ad quem confugerat, labyrintho defensum.
Stabit super hanc molem,
Trophæum ZEBRZYDOVIANVM, æternâ mole erectum;
Imponetq; silentium, frementibus Moschorum animis:
Quorum vim imbellem condemnat.
Tantus in Floriano,
Magno, Illustriss: PALATINI nostri Proauo,
Immortalis gloriæ flos;
Qui vt tot, in posteris Heroum Capita, coronaret;
In tantum efflorescere debuit;
Seruauit tamen filio, maius aliquid,
Vt constaret;
Zebrzydouios, dum alijs, in Summo constitisse visi sunt;
Reliquisse Posteris in fastigio, altiùs ituræ gloriæ locum.
Et processit sanè,
Ad summa omnia natus promotusq;
Summis tamen, quos gessit titulis, & honoribus altior,
NICOLAVS ZEBRZYDOWSKI, PALATINVS Cracouiensis,
Incomparabilis gloriæ, Zebrzydouij nostri Auus.
Similes illi, seculum omne, paucos tulit, feretq;;
In quibus, fortuna & virtus, vires suas expertæ
Parem ex vtroq; mensuram gloriæ, adimpleuerint,
Vestigia Patris secutus,
Vltra metas etiam, columnasq; persecutus est;
In acie Mauors, in Senatu Oraculum, in vtroq; Cæsar.
Sub Atlante Patriæ,
Serenissimo olim STEPHANO BATHOREO,
Herculeam, in Moscouia virtutem, dum exercet;
Immensum, ad sustentandam Patriæ dignitatem, collegit robur;
Infracti animi Viro,
Contra Maximilianum Austriæ Archiducem,
Sedes Regni concredita;
Externam, pro Iagelonica Domo, fregit potentiam.

Capitalis ambigentium hostis,
Certatìm collatos honores, ambiuisse visus fuisset;
Nisi plus in titulos, quam acceperat, honoris;
Amplitudinis suæ vbique securus, refudisset.
Generalis primùm Minoris Poloniæ, Capitaneus Cracouiensis,
Mox Palatinus Lublinensis, Regiæ militiæ Præfectus,
Marschalcus Regni, Palatinus ad extremum Cracouiensis,
Authoritatem summam in Republica;
Non collegit per gradus, sed detulit;
Veterem Poloniæ Magnificentiam, vel solus ita sustinens;
Vt post tot sæcula, cum omnia retrò irent;
Nihil sibi, vel in hoc solo decessisse, confessa sit.
Humanæ fortunæ capacissimus,
Cælestes etiam, in vita fauores, raraq; priuilegia,
Nouo Palæstinæ in Sarmatia inuento, obtinuit.
Magnificum viri animum, ipsi etiam dilexerē superi;
Intentatamq; alijs, felicis Magnificentiæ, suggesserunt occasionem;
In quam se totus, sine inuidia & æmulo,
Profusissimè effunderet.
A tot seculis, admiranda terræ portio, vni seruata est;
In qua se ipsam Hierosolima, in Orbe alio, miraretur.
Felix ditio,
Quæ sine vestigijs, vestigia Christi recepit;
Felicior oculus, qui obseruare potuit;
Felicissimus ZEBRZYDOVII *animus,*
Qui visionem hanc grandem, terramq; Sanctam, inqua stetit;
Magnifico conatu, orbi reuelauit.
Victoriæ gentium, cum Metelli fortuna, nihil ad hæc;
Triumpharunt multi in Vita, post obitum nemo.
Trophæa, & Manubias ZBRZYDOVII, *à morte requiris?*
Sacrum Caluariæ locum, cogita?
Vicit hîc se ipsum ZEBRZYDOVIVS, vincitq; Deo perpetìm;
Tot Captiuorum millia, inaudito exemplo,
Sine Catenis, & gemitu; ad Catenas Christi, deuotosq; gemitus trahens.
Sacram hanc, ZEBRZYDOVII in Cælum viam,
Tot animarum Salus sequitur.
Sufficitq; vel hoc vnicum, magnæ stirpi, ad veram gloriam;
Quod Orbi suffecit ad Salutem, priuilegium.
Ampla hæc certè, cruentis Christi vestigijs, donata hæreditas, fecit.
Vt in vestigijs, veræ virtutis & gloriæ, verus prodiret hæres,
IOANNES ZEBRZYDOWSKI Ensifer, Regni.
Dignus tanto Parente Filius;

Excitari

Excitari ad virtutem, ignauis relinquens;
Ipse ad exemplar paternum, sponte alijs in exemplum, viuere cæpit.
Maiorum imagines, identidem respiciens;
Vt in seriem eorum venire posset;
Heroica facta seriò meditatus, tempestiuè exorsus est.
Vibius Olim Acceus,
Pelignæ cohortis, ad Capuam præfectus,
Vexillum trans vallum Punicum,
Vt inuicta militum virtute reciperetur, misit.
Dixisses, idem à Magno IOANNIS Patre factum,
Ita in bellis, Moschouitico, Valachico, Prussico,
Militari gloriæ, totus incubuit Filius;
Ceu hereditaria, Vexilli ZEBRZYDOVIANI, gloriâ vt potiretur, adiuratus fuisset;
Nunquam deinceps,
Vexillum suum, fortunæ manibus credidit,
Hostili semper extorsit.
Pro DEO & Patria, præferre signa maluit, quam expectare;
Ad signum quoq; pacis publicæ electus,
Coronam, Serenissimo Vladislao Quarto vt pacatam seruaret;
Pacem publicam seruauit.
Tribunal etiam iustitiæ,
Quod Tribunalitiorum Regni Iudiciorum Marschalcus, ante insiderat;
Regum quoq; Tribunali vacante,
Regio animo, & Virtute tenuit.
Magni sanguinis, dum continuat splendorem;
Continuauit quoq;, in rebus pietatis, magnificentiam;
In celeberrimo Caluariæ loco,
Felix Parentis exemplo, imitatione felicior;
In Domo Domini Salomonis felicitatem, consecutus est;
Sumptuosissimis operibus;
In via vitæ, tabernacula gloriæ struxit.
Ceu hoc vnum pietatis negotium, ita ageret;
Vt dum Vexilla Regis Regum, triumphali pietate prodeunt;
Crucis, in Vexillo ZEBRZYDOVIANO, mysterium æternùm refulgeat;
Sola hæc humanâ maior felicitas;
Posse aliquid ex Deo, quod ipse acceptet, rependatq;.
Et rependit sanè in filijs;
Quod coronaturus olim in Patre fuerat;
Dum
Pro erecto, in Sacris Caluariæ locis, Christi patientis Vexillo;
Dedit geminos Vexilli ZEBRZYDOWIANI hæredes;

 Arcano

Arcano nominum ſenſu, Exercituum Dominis dilectos;
Alterum militiæ Cæleſtis claſsico, quis vt DEVS?
Seraphico alterum crucis Vexillo inſignem,
MICHAELEM & FRANCISCVM.

VEXILLI
IMMORTALIS GLORIÆ,
INSIGNE TERTIVM,
ILLVSTRISSIMI
PALATINI,
Propria vitæ & meritorum Decora.

Hactenus ad ſplendorem ZEBRZYDOWII Sanguinis,
Vmbris ſepulchralibus, vacare non licuit.
Continuit admiratio dolorem, repreſſitq́ lachrymas;
Nec in tanti luminis & gloriæ ſudo; procelloſis nubibus locus ſupererat.
Sed Eheu!
Grauiores diuturna ſerenitas, colligit nubes;
Sæuitq; atrociùs, mota ex tranquillo tempeſtas; quæ formidoloſiùs ſiluit.
Reſpexiſſe ad tot heroum lumina,
Crudelius ipſo dolore doloris ſolatium;
Infeliceſq́, cum omnia amiſerint; nihil enecat magis;
Quam habuiſſe.
Quidquid in ZEBRZYDOVIIS ſummum præceſſerat;
Ante actorum temporum felicitate memoriam, non reficit; ſed irritat.
Nimirum,
Alienam ſpectando felicitatem;
Tempus vt in ludo fallimus; niſi teneamus propriam.
Diſpendium tamen hoc,
Ingenti compendio ſupplebat, dum vixit;
ZEBRZYDOVII Sanguinis, vnio & Compendium,
Illuſtriſs. Olim & Mag. Dominus MICHAEL de ZEBRZYDOVICE,
ZEBRZYDOWSKI, Palatinus, & Capitaneus Cracouienſis.
Maiorum gloriæ, Maximus ſic erat titulus;
In quo ſe, omnis illa titulorum ſeries, vel collegit, vel abſoluit.
Iacturam tot ætatum, virorumq́;
In ſummo Viri pretio, ætas præſens non ſenſit:
Laboraſſetq; graui inuidiæ ſuſpicione, aureum illud Poloniæ ſeculum;
Niſi pignus hoc præſentibus reliquiſſet?

Vnicâ

Vnicâ tamen basi hâc,
Augustum tanti sanguinis decus; ingenti quidem gloriâ;
Sed non minori, incomparabilis iacturæ metu, constitit.
Super Atlantem hunc,
Quanti vetustæ Familiæ Orbes, Orbem suum fecerint; inquiris?
Quanti cum eo procubuerint, vide.
Non gemitus super hoc bustũ; sed fragor; nec loquitur hîc dolor, sed stupet.
Vrna quidem hæc vnica; funus tamen multiplex:
Vrnas Maiorum replicat, non claudit.
Rationes à nobis posteritas, maximi doloris non exiget;
Si tot in vno dolores rediÿse, sibi desiisse exempla, intellexerit.
Intelliges, o quæcunq; deinceps,
Vestigijs nostris immines, ducta è longinquò, Posterorum Series!
Hoc agimus, vt tibi constet;
Vicisse causam doloris, in funere ZEBRZYDOVII, vim omnem dolenitum;
Superesseq, causam doloris semper;
Quæ lachrymas non abstergat nostras; nec contineat tuas.
Quid ita?
Nulla dolorem istum spongia capit; quia nulla refundet.
Occasus iste, quantæ diei, lucem clauserit;
Vel ex hoc crepusculo, æstima.
Auito Sanguini Coronam, & Coronidem daturus;
Quinq; prope seculorum coronamentum, nascens detulit;
Non apes in cunis, aut Seruij Tulli radios;
Sed Tryumphales, sub vexillo ZEBRZYDOVIANO Coronas,
Ad Coronidem gloriæ complexus.
Spectaculum ZEBRZYDOVIO Sanguine, sanè dignissimum;
Trophæum tot manubijs grauidum, ab inualida manu efferri;
Tractariq; nec dum à prætextato; quod Heroûm paludamenta exercuit.
Seruabant adhuc boni superi,
Ingentem Aui, Parentisq; spiritum;
Qui pectusculum illud, magno gloriæ impulsu, præsens ipse animaret.
Inter Anchisem, Æneamq; suum crescenti Iulo,
Quanta Indoles; Argumento est;
Quantum illud fuerit, quod ad vnguem expressit,
Æmilius Lepidus,
Romanum, Summæ Indolis specimen,
Prætextatus adhuc, seruauit Ciuem; dum hostem interimit:
Mererið potuit, in Capitolio statuam; antequam in vestibulo meritorum stetisset;
Vicit indolem hanc,
Absq; alieno Sanguine inuictus,
Magnus, vno in pectore, Maiorum Sanguinis sui, Ciuiumq; Patriæ Seruator,
D
ZE-

Vno intuitu, omne in eo retrò ſeculum vidiſſes;
Tantus in aſpectu, vultuq; viuæ adhuc maiorûm, ſpirantiſq; gloriæ vigor.
Impleuerint multi,
Maiorum ſimulacris atria, titulis faſtos.
Impleuit vultus hic, circumtulitq; omnia;
In cuius ſpeculo, vniuerſa maiorum facies, à tot Heroibus conuerſa,
Ita reſplenduit;
Vt decorum illud, Verecundi Oris velamen;
Ingens animi lux, quoties percuſſit; Maiorum, vnde ſumpta eſt claritudinem,
Vel in vita prodiderit.
Tantâ indole felix;
Primum, qui pietatis cenſu conſtat, æterni Numinis cultum,
Vix vllis Præceptis debuit.
Noſſe Deum, Eccleſiæq; iuſſa exequi; ſub triumphali Eccleſiæ, cum didicerit ſigno;
Fructus hic, ſanctiorisq; diſciplinæ profectus;
Donum in eo naturæ, videri potuit:
Tam valida ſunt, domeſticæ pietatis exempla.
Integerrimo pectori,
Prima Sapientia Deus, ſimulac inhæſit;
Ingenio docili, erectoq;, humana etiam facilè acceſſit.
Cultiſſimum animum, quem Gratiæ, iam omnes inſederant;
Muſæ quoq; non grauatim ſubintrauêre;
Dum florem iuuentutis Polonæ,
In generali Vniuerſitatis Cracouienſis Studio,
Flos ipſe iuuenum lectiſſimus, coronaret.
Virtutis pariter, & doctrinæ, inſigni profectu,
Curas omnes Præceptorum, ſudoreſq; abſterſit;
Educationis delitium, non cura factus.
Animo nimirum, ad ſumma omnia nato,
Optima quæq;, abſq; Magiſterio elegit:
Iam tum, in æſtu illo ætatis, potens ſui, ſeueruſq; domitor;
Alieni, quo vix indiguit, moniti, exactiſſimus obſeruator.
Non leuem proinde,
Eruditionis prouentum, magnâ mentê ſectatus;
Conſtanter in ſolido ſtetit.
Ex Academica inſtitutione, Muſiſq; Patrijs, tantùm referens;
Quantũ in eò, cultiſsimarũ Europæ gentiũ, admirationi ſuffecerat.
Orbem peregrinum adijt,
Animo, ad peregrinos mores, inconcuſſo;

Fineſq; Patriæ relinquens; Patriam, maſculæ Sarmatarum indolis,
Virtutem non reliquit.
Ad exotici quoq; ſermonis elegantiam;
Oris, non animi, idioma flectens;
Linguarum cognitione inſtructus, prudentiâ inſtructiſſimus prodijt.
Orbem tantum, in orbe alieno, dum circumagit;
Intelligentiam, ex ſe motricem, non ex alieno habuit:
Oſtenditq; regimen ſui, etiam iuuenibus, ad manum eſſe;
Si frenum affectuum, in manu mentis ſit.
Sub hac, Sparthani in ſeipſum rigoris, diſciplinâ,
Magno prudentiæ cenſu; ſed procul omni Cenſuræ nota;
Patriæ ſuæ redditus;
Non obuiam tantum inuenit; ſed anhelantem.
Auxit deſiderium, ipſa quæ præuenerat, æſtimatio;
Nec iam deſtinari tantùm vota, exoptârunt; ſed impleri.
Voto Patriæ publico, quantùm reſponderit,
Sacra Maieſtatis reſponſa, Senatuſq; oracula teſtantur.
Ad inuidendam Orbi,
Diui VLADISLAI Quarti, temporum felicitatem,
Pacatam meritorum fortunam nactus;
In ipſa etiam tranquillitatis publicæ malacia;
Exerceri Polonam virtutem, vidit, ſenſitq;:
Ceu impotentis animi leuitate, retrò facilè itura,
Artibus ſuis præluderet fortuna.
Contra hanc, ominoſis iam tum præludijs,
Sæuiſſimæ tempeſtatis, naufragia parantem;
Fortunarum, Vitæq; prodigus, ſigna dum promouet;
Incorruptæ fidei Vexillum,
Primùm ad vindicias non ſeruatæ fidei, extulit.
Coſacicam ad Kumeyki, vltus perfidiam;
Scytharum quoq;, Parricidales ad Tehyniam manus;
Dum in principes ſuos ſæuiunt; fuſo in confinijs Ruſſiæ,
Luſtrali ſanguine, eluit.
Vaſta, proboſcidem hanc bellua, dum contrahit;
Irarum doloſos, non extinxit ignes; ſed obduxit.
Exaſperati animi,
Nec dum curato vulneri, acetum ſuperinfundi, dum non ſuſtinent;
Dyctamum, vnde plaga venerat, quæſiuerunt.
Sed ô remedium, ſeruilis animi; deſperatum!

Fibras suas, per alienum latus petentes;
Dum pro libertate coniurant; iurata Tauricæ mancipia fiunt.
Ilium hoc, nullo sanguine cum restinguitur;
Nobilissimi Sanguinis diluuia hausit.
Fortunarum quoq; scopulus;
Cum publica Regni fortuna, priuatas quoq; elisit, & absorpsit;
In vastamq; hanc publicæ Calamitatis, voraginem;
Multi Curtij, Decijq;, in victimam Salutis missi;
Noua pietatis, in Patriam, absq; exemplo, suscitarunt exempla.
ZEBRZYDOVIVS in his omnibus, nemini secundus,
Scythica, Cosacicaq; arma, vel in pectore suo hebetare cupiens;
Murum hunc, pro Patria, Spartanum vbiq; opposuit.
Auitas maiorum opes,
Integris legionibus, interdum haustas;
Nunquam libentius, quàm in opem patriæ conferens;
Viuere maluit generosius, quám opulentius.
Triumphales, ad Beresteciam, laureas,
Serenissimi IOANNIS CASIMIRI,
Victorioso Capiti relinquens;
Nutantem in Capite Regni fortunam, contra Spartacum Napierscium,
Defensurus;
Oppressam in herba proditionem, dum reperit;
Felicitati publicæ gratulatus; infelicitati suæ tribuit;
Quod pulcherrimum vtrobiq, opus, fortuna sibi inuidisset;
Maior tamen triumphis omnibus gloria;
Salus publica, dum in puncto vertitur; gloriæ punctum relinquere:
Votaq; Patriæ, sequi potius; quam trahere.
Diligi Patria vult,
Non quod claros faciat: sed quod cara sit:
Zelusq; boni publici, non est; qui theatrum postulat.
Clypeum Sceuæ, centum viginti ictibus lacerum,
Vidit Orbis ad gloriam:
Per quem, videri ipse noluit, ad meritum.
Quæsiuisset alius, tot oculorum spectatores;
Quot in Clypeo, ictuum vestigia;
Suffecerat tamen Sceuæ, meruisse.
Atilius manu amputatâ, nauem Massiliensium, inter spolia computat;
Tenuitq; gloriam, truncâ etiam manu, quam non ostentauit.
Nec minor, contra motam in Polonos,
Cum Carolo Gustauo, Sueciam;

ZEBRZY-

ZEBRZYDOVII *animus*.

Fulmen illud cum omnes declinant, nemo auertere ſatagit;
Diſcrimen omnium, terrore publico auxit.
Animorum quoq; experimento datum;
Cordatos etiam, ſine veſtigio, ſi non occidit; certè adußit.
Interceptâ ſpe omnium,
Vexillum ſpei, ad conſtantiam,

Pro Deo, Patria, & Principe,

ZEBRZYDOVIVS præferens;
Altas Suecorum ſpes, intercluſo præſidij Cracouienſis ſpiritu,
Valida manu continuit.
Obſidionalem tamen Coronam,
Regali, ex Vrbe Regia, triumpho, fortuna cum ſeruat;
Transſyluanum quoq; ad Manipulum Coronarum, induxit.
Turbinem hunc, vertigo ſua, dum agit; præcipitat:
Furieq; ſuæ, ad infame buſtum condemnant, Poloniæ incendiarium.
In hac fumantis Patriæ Caligine,
Lucida ZEBRZYDOVII fides, & conſtantia eluxit.

Munimento Patriæ,

Validam Copiarum manum, ære proprio ſuſtinens,
Parcere hic ſumptibus; prodere Patriam Cenſuit.

Nec enim diſtat,

Violentaſne manus inferas, an tenaces remittas?
Si viſcera Patriæ, aliena manus euiſcerat.
Quæcunq; deinceps, Patriæ facies,
Zebrzydouij idem vbiq; animi vultus.
Heroicumq; animum, coniurata morborum acies, cum inuaderet;
Adfuit præſens ipſe, in pectoribus;
Quæ magno ſpiritu, ſumptuq;, ad ſalutem publicam animauit.
Vltra Boriſthenem etiam, contra Moſchos,
Cum Marte Polono, vexilla ſua promouens;
Documentum reliquit æternum;
Labante quantumuis, mortali magnæ mentis habitaculo;
Bellicam Zebrzydouiani pectoris virtutem,
Etiam inter fragmenta virium, infractam;
Non quærere quidem trophæa; ſed mereri.

VEXILLI
IMMORTALIS GLORIÆ,
INSIGNE QVARTVM,
JLLVSTRISSIMI
PALATINI,
Heroicæ, & Christianæ Virtutes.
Posthuma Sæcula,
Quem ab immortalibus animis, sine venia exigunt;
Census hic maximus est; in exemplum vixisse.
Nomina, Personæq; facile transeunt;
Malè tamen præcessit; in quo melioris æui exempla, periêre.
Fortunæ, tituli, honores,
Durentnè, an euanescant? præsentium cura sit?
Rectè factorum, virtutumq; decora,
Ærarij Posterorum, iurisq; publici sunt.
Nisi sic viuerent, quos sequimur;
Absolueret veneratione Posteros, negligens melioris exempli vetustas.
Cura hæc, ZEBRZYDOVIO *Nostro viuenti, maxima;*
Mortuo, vita & gloria,
Virtutis in exemplum, vixisse.
Ad Magni sanguinis periodum veniens;
Virtutis etiam decus, in puncto absoluit:
Id demùm verè ZEBRZYDOVIUM *ratus, si maximam virtutum,*
Et meritorum Coronam, consumaret potiùs, quam finiret.
Selectißima inter Curas omnes,
Primaq; bonæ menti, intaminata Religio.
In hac quoq; delectare varietatem; phreneticæ impietatis furor est.
Protheos hosce, Vertumnosq;
Implacabili odio prosecutus ZEBRZYDOVIVS;
Vnam, Vni DEO, fideiq; mentem, debere voluit;
A pantheris hisce, afflari etiam, surreptitio ciuilis prudentiæ odore, nolens:
Ne, cum prudentiùs; quàm religiosiùs consulitur;
Captiua, in libertate conscientiarum fides, & pietas, gemeret.
Zelum Fidei,
Cleri quoq; reuerentia secuta;
Regali Sacerdotio, obsequentem animum submisit.
Sacrilegum seculi risum;

Quo

Quo ministerium spiritus, in seruis Dei persequitur;
Ceu Stygium, insani pectoris fœtum, abominatus, honoris augmento derisit.
Deus quippè in seruis suis, non irridetur.
Seraphica certè, D. FRANCISCI militia;
ZEBRZYDOVIANIS Heroibus, iam olim in delicijs;
Nunquam gloriosiùs, quàm sub hoc Vexillo triumphauit.
Dilectæ animæ,
Dum angustiùs, in monte Sancto Caluariæ habitant;
Augustam dilectionis ZEBRZYDOVIANÆ, Magnificentiam fecerunt.
Non poterat, cor amore dilatatum,
Minores pati sedibus; quos affectu maximos;
Veræ in Obseruantes pietatis obseruantia, æstimauit.
Lachrymas proinde Tuas, quibus depluis;
Sacra terrestris Seraphini Familia, non demiror.
Oculi huius pupilla cùm fueris;
Iam propè inter pupillos, & orphanos transieras;
Nisi orbitatem Tuam, materno sinu exciperet;
Pietatis, misericordiæ, charitatisq; visceribus, affluens;
Vera & genuina Mater,
Illustrißima, & Magnifica Domina,
M A R I A N N A
De Zmigrod, Zebrzydouia,
PALATINA CRACOVIENSIS.
Vt hac tibi, à STADNICIANO Flumine, Ciuitatem DEI lætificans, pietatis impetus;
A mitrato verò,
Illustriß: Principis CZARTORISCII *Equite,*
Præsidium & Corona;
Capitis Tui Corona, cum cecidit,
Z E B R Z Y D O V I V S.
Spineum ille Christi Caput, coronauit in Monte Caluariæ Rosis;
Dum splendidissimi operis Sacellum, Magnæ DEI MATRI Virgini,
Maximis sumptibus, à fundamentis erigens;
In via doloris, nouo amoris inuento,
Filium in Matre Coronauit.
Zelo fidei, pietatisq; tam insignis;
Pietate in Patriam, vinci noluit.
Opes, Sanguinem, vitam,
Periculis, in periculorum Patriæ remedia, obijciens;
Nunquam securior; quam cum sic periclitatur, viuere voluit.

 In tur-

In turbido tamen piſcari,
Priuatiſq; commodis, amorem boni publici prætendere;
Sæuum Pſeudopoliticæ arcanum exoſus;
Maluit raram, ex publico gratiam; quam extortam.
Quidquid proinde ſplendoris, vel Magnificentiæ, in publicum contulit;
Donauit Patriæ, ſine æſtimatione, cenſuq;.
Heroica Viri magnanimitas,
Gaudebat, meritorum in Patria theatro, non plauſu;
Maximis impendijs, vel hoc vnum rata ſufficere; quod feciſſet.
Summis quibuſq; in Repub: muneribus par,
Animo prudens, conſilio promptus, iudicio ſummus, ore diſertus,
Officium Patriæ non quæſiuit; ſed vbique præſtitit.
Cum honoribus, dum vltrò veniunt, diu luctatus;
Summâ animi moderatione, altiores dum refugit;
Peruenit ad ſummos.
Animo ſemper æquabili,
Fortunæ, cum nihil vnquam deberet; nihil ei detulit.
In ſumma Nobiliſſimi ſanguinis, honorum, & fortunarum amplitudine;
Solam hanc felicitatem, in ſummo computans;
Quod incrementa ſua, quibus augeri non potuit, deriuando in alios;
Infelicitatem alienam, in ſumma fortuna, felicem redderet.
Clientum obſequia, cultumq;, ita retinuit;
Vt magnæ menti, occaſio beneficiorum, nunquam deeſſet;
Meritis beneficia ſupereſſent.
Verecundiam proinde alienam, vt præueniret;
Pudibundè verentibus, dulce amoris inuitamentum,
Suauiſſimâ humanitate prouidit.
Aditu non difficili, facilitatem promittens ſummam;
Fiduciæ Arrham, teſſeramq;, comitatem, in veſtibulo poſuit.
Liqueſcit hucuſq; animus,
Recordatione illâ; quam ſibi æternùm obligauit;
Cum trepidantium animos, miro comitatis artificio firmans;
Non rogari voluit; ſed requiri;
Ceu depoſitum redderet alienum, non gratiam faceret.
Obteſtor vos animi omnes!
Apud quos, tam inſignis gratia, nec dum gratiam perdidit;
Quomodo ſenſus veſtros, in Vultu etiam ipſo legerit;
Et quam magnificè interpretatus ſit; vobiſcum expendite.
Perſpicaciſsimam certè magnæ mentis vim, non eò intendit;
Vt erumpentes animorum in vultu notas, ad ſimulationis profectum legeret;
Sed

Sed vt interceptam, modestiâ, vel metu, pectorum vocem;
Etiam cum elicere non posset;
Audire se, & intelligere ostenderet.
Secretum idioma mentium,
Ad beneficium & gratiam, sic intelligens;
Secretius quoq;, quo Deus animæ loquitur; conscientiæ idioma,
Ad compunctionis gratiam intellexit.
Ad negotium cæleste, ab humanis, dum reducitur;
Vires Corporis, ad animi vigorem, transferri sensit;
Vocantiq; Deo, ad secessum cordis, oblatione spontaneâ obediuit.
Sub nube illa diuturnæ ægritudinis,
Serenum animi diem, meliori luce retinens;
Tum demum, cum oculis humanis, defecisse visus est;
Splendidissimâ, in oculis Dei, facie luxit.
Ad Coronam patientiæ, Regiam dolorum viam nactus;
ZEBRZYDOVIANÆ stirpi conuenientissimam censuit;
Quæ viam dolorum Christi, in monte Caluariæ, tanto impendio expressit.
Mira animi Constantia, roburq;;
Tot per annos, validis morborum ictibus, non tangi, nedum concuti;
Patiendiq;, in ipso patientiæ theatro, occasiones quærere.
Trophæum hoc Vexilli ZEBRZYDOVIANI, maximum;
Perpetuæ sui ipsius Victoriæ, trophæa mereri, ostentare nulla.
Hoc egisti, ô felix anima!
Cum, ceu nihil ageres; ad palmam felicis Victoriæ decurrens;
Metam, & si gradum non promouisses, tenuisti.
Mori sanè, in lucro tibi fuit;
Quia cum te in Patientia Vitæ, possedisset ZEBRZYDOVIVS
Exitum Vitæ in lucro computauit.
Ostium hoc immortalitatis;
absolutum legibus humanis animum, dum recepit;
completum, in summo, magni sanguinis, Atrium

C L A V S I T.

Sed ô

Sacri, Victuræ gloriæ postes,

Quid agitis?

Repagula Vestra, quidquid in ZEBRZYDOVIO clauserint;

Posteritatis hæreditas est.

Spiritum vitæ, auferre licuit; non spiraculum gloriæ.

Hác animâ viuet,

Cui non tumulum ponimus; sed VEXILLVM;

Vt in Trophæo suo;

Qui maiorum Trophæa meritaq; conclusit;

Viuat;

Si non vltimus; certè summus,

ZEBRZYDOVII SANGVINIS

PHOENIX.